

402 Semis donavit Corvinus 870.
Scola. P. Ant. Libet
EPISTOLA
AD PRAESTANTEM
pietate, nobilitate, omniq; uirtu-
tum genere, Dominum Fran-
ciscum Suliock Pannonium,
optimè de artium libe-
ralium studiosis

~~merito.~~

Scripta ab Andrea Carolio
significandæ gratitudinis
causa, n. die Maij.

VVITEBERGAE.

Tenchedor

✓ ✓

2991 M. D. LVII.

2991

000601

2990

160 mifou amur

Lenckha

Sunt

homin

✓ ✓

✓ ✓

✓ ✓

homin

✓ ✓

✓ ✓

✓ ✓

✓ ✓

ANDREAS CA-
ROLIVS.

Illa quidem doctis, uirtus celebranda camenis,
Dicitur accepti, quæ memor officij.
Rectori siquidem uirtus placet omnis olympi,
Et fluit à summo cœli genitore Deo.
Gaudet & hoc facto liuina potentia pulchro,
Cum sunt pro meritis pectora grata pijs.
Nam Deus horrendas demittit ab æthere poenas
Cum perit in multis gratia pressa locis.
Iusticie memor est, & ueri conscius extat,
Officijs pensat, qui benefacta suis.
Idcirco fateor quod tu mihi plurima præstes,
Et me consilijs, auxilioq; iuues:
Quæ nunc si nequeo, uel quod mea non feret ætas,
Vel fortuna neget, forte referre tibi.
Non tamen oblitus iusti: Veriq; uidebor,
Me penes est studijs gratia magna tuis.

Job. 26 / 7 D. uel affruei terra super nihilus.
Contra.

Psal. 23 / 135 / 8 D. uis firmavit terra super aquam.

GENEROSISSIMO, AC
nobilissimo, omniq; uirtutum ge-
nere ornatissimo domino Fran-
cisco Suulyok Leckcen, egre-
gio Principi in Vngaria, stu-
diorum mecoenati, Do-
mino ac Patrono suo
summa obseruantia
colendissimo,
Andreas
Carolius Architecti,
S. P. D.

CVM multa uincula societatis hu-
manæ, uoluit esse Deus singulari
consilio, tum etiam genus humanum
gratitudinis officio abstrinxit, Cuius
rei etsi permulta causæ sunt, tamen has
debemus habere in conspectu, quod
hoc ipso officiorum genere admoneri
nos uoluit, nō casu offerri bona, sed nos
uere Deo curæ esse, exaudiri nostras
preces, nosq; à Deo iuuari, & hāc ipsam
confessionem nostram testimonii esse
apud cæteros de prouidentia, & cum
A ij nolue

noluerit Ecclesiam sub cruce uiuere,
paupertatis, & aliarum æruminarū, ma-
xime in eo cōtrū hāc uirtutem sanxit cō-
spicuam esse, ut multi opulentī hac inci-
tati benefacerent Ecclesiæ, eiusq; pro-
pagationem adiuuarent, ideoq; cum
nullum sit maius beneficium, quam Ec-
clesiæ doctrinam communib; officijs
adiuuare, Profecto nemini plus debe-
mus, quam ex cuius liberalitate in scho-
lis sumptus facimus, ubi & altarum ar-
tium, quæ utiles sunt Ecclesiæ, & ipsius
sacrosanctæ Theologiæ fundamenta
iacimus, & ex ipsis fontibus utilissima-
rum cognitionū Lympham haurimus.
Quare qui nō habent gratiam his à qui-
bus beneficia acceperunt, illi præterquā
quod naturæ bellum inferunt, quæ sine
mutuis officijs conseruari nequit, etiā
à ueritatis & pietatis semita diuertunt
& incident in multorum delictorum oc-
casiones, quibus poenæ diuinæ irritan-
tur. Cum autem multa constent tua in
me merita, ut ea uerbis etiam exprime-
re nequeam, decurram ad illud extre-
mum,

num, & gratias agam illi, Cui ut refe-
ram potestas mihi sublata est, & hic ta-
men rogo, ut si in hac quoç parte mihi
pleracç parum feliciter successerint, ea
pro tua sapientia ita intelligas, ut nihil
mihi defuisse existimes, nisi eam dicen-
di facultatem, que aliquomodo copiam
pleniore ore laudandi & beneficia ex
tua liberalitate in me profecta, recensem
di suggessit. Quare ut pro tua huma-
nitate qua me complectaris hanc grati-
tudinis significationem approbes, licet
in hac parte officij minime mihi satisfe-
cisse videor, reuerenter peto. Nam
libere profiteor quod maiora sint tua be-
neficia, quam & unquam tuæ liberali-
tati digne gratias agere, nedum referre
queam. Quoties enim apud me taci-
tus repeto, quanta cura ac diligentia res
meas promoueris, & quibus cum con-
silijs tum sumptibus studia ac conatus
meos prouexeris singularem moerorem
concipio, quod homini de studijs meis
optimè merito, multisq; me adficieni,
beneficijs, uix qualitercunç literis meis

A iii declas

declarare possum , meritorum ipsius
memoriam apud me esse honorificam,
quæ & si uerbis à me difficulter exprimi
potest, tamen in omni uita integerrimè
apud me sit permansura. Nam quod
aliquando Virgilio mecoenas fuit, Vir
præstantissime, idem te mihi esse uelim
tuæ erga me humanitati Pollicearis, imo
ut maius quid dicam , si te mihi paren-
tis loco esse cogitaueris , tantum o-
nis erroris expers es, & ita plane pro-
tua prudentia nihil seduceris , ut nihil
unquam æquius sis crediturus.

Quippe hoc mihi parentes cōtulerunt,
ut in hanc terrarum uallem præsentib.
& futuris ærumnis refertam non sine
gemitu & luciu deuenerim : tua uero
humanitas id mihi non sine laude præ-
stítit, ut nunc preter hoc fragile & ca-
ducum corpus acceptum à parentibus
etiam animam habeam exultam reno-
uatione Spiritus sancti , cognitione
uerbi diuini, sincera religione, & im-
butam lymphis & succo æternorum
fontium, ex quibus salus nostra & uita
æterna

æterna scaturiunt, ad hanc fœlicitatem
inquam (nam satis hoc efferre me non
posse deploro) tuis beneficijs perueni,
in illam semitam tuis ductibus ingressus
sum, eō deniq; fortunæ & prosperitatis
prouectus sum, ut nunc preterquam
quod corporis honestam sustentatio-
nem habeam, etiam sim ornatus pul-
cherrimarum artium & doctrinarum
cognitione, sine quibus tantum abest
ut Ecclesiæ administrantur, ut prô dos-
lor, nisi Dei beneficio tales fuissent in-
stauratores, stragam & ruinam fecisset
cœtus ille docentium & discentium
Euangelium. Vides quomodo cuncti
faciem magnitudinis illius qua tua in
me beneficia & merita fulgent, pro quis-
bus si gratias non agerem cuius nam
reprehensionem effugerem? Cui nam
infamia me subtraherem? à qua vicio-
rum macula me expedirem? Sed pres-
ter ista omnia gratitudinem & animi be-
nevolentiam tuæ humanitati debeo,
non solum propter tuorum in me me-
ritorum magnitudinem, sed etiam quia

A iiiij hoc

N^o 22.

hoc Deus à me postulat, & legem na-
turæ hoc mihi præcipere conspicio.
Sed quid in ijs tantum quibus me tua
humanitas adfecit beneficij commis-
sionis occupatus sum? Cum restet
spacioſiſſimus tuarum uirtutum Cam-
pus, ex quo publica floret utilitas;
Quibus & quantis officijs Reipub:
profuisti; ut iam in priuatorum com-
modis ulterius non sim anxius. Quan-
ta iuramenta sumit illa Respub: Cui
tu quoquō tantum modo opitularis, &
ea quæ ad stabiliendam pacem, & con-
firmandas honestas leges conducunt,
consulis; Hic si uelim tanta tua merita
quæ in Rempub. constant explicare,
Vereor ne mole suppressus concidam,
& ab instituto desistere cogar, nam qd
mirum est tantus est eorum cumulus
quæ tua præstantia omnia executa est,
ut ab illorum commemoratione etiam
exercitatæ mentes propter prolixita-
tem propemodum abhorrescant.
Quanta enim & quibus Ecclesiam pro-
mones, prohibes externas blasphemias,
as, tol-

as, tollis cultus impios, & ueram de
Deo doctrinam, per filium humano ge
neri ē sinu æterni patris prolatam, po
pulo proponi curas, alis Doctores Ec
clesiæ, foues scholas, & iuuentuti mini
stras studiorum subsidia, ut doctrina di
uinitus tradita & commendata Eccles
iæ, per Prophetas, Christum, & Apo
stolos conseruetur, & integra ad poste
ros transmittatur, & uere te in ipsorum
numero refero, de quibus dixit Esaias,
Reges erunt nutritores tui, & Reginæ
nutrices. His in Ecclesiam beneficij
ptorum gubernatorum exempla imita
ris, qui opes ad Ecclesiæ conserua
tionem non exiguae contulerunt. Dauid
acerrimus Ecclesiæ defensor fuit, &
item Iosias, Curauit enim ut liber foedes
ris legeretur, & omnibus innotesceret,
& ut uera religio, ueruſq; Dei cultus
instauraretur. Hoc præcipuum erga Ec
clesiam beneficium Deus sibi multis mo
dis placere ostendit. Nam & oblatio
nes primitiarum, pretium pro primoge
nitis, & alia sacrificia in politia Mosaica

instituerat, & singulos Israelitas ad conseruationem ministerij prouocarat, & mandatum Dei est, ut singuli pro suis facultatibus aliquid subsidij ad conseruationem ministerij conferant, & promittit Deus ipse pro his beneficj copiosam compensatiōem, sic enim inquit, Matth. 10. Qui dederit potum aquæ frigidæ uni ex minimis meis, non perdet mercedem suam. Imprimis autem hoc opus à summis familij postulat, & nominatim eas alloquitur, Aperite portas uestras Principes, & introbit Rex gloriae, & David uult Reges & Principes conuenire ut seruant Domino.

propositum
Quid dicam de tua repub : in qua tranquillitatem, Cuius alias studiosissimus es, honestas leges, pacem et disciplinam conservas. Quanta uteris beneficentia & liberalitate in omnes subditos : quibus auxilijs afflictos ciues sublevas : qua dignitas constantia multorum honestos conatus adiuuas : hæc licet per se ampla & magnifica sint, tamen multo illustriora sunt propterea quod multa huiusmodi
& me

& merita & beneficia à te hilari animo
proficiscantur, ut non inepte de tua hu-
manitate possit illud D. Pauli dici, ἵλας
ἡρός δότικων ἀγαθῶν οὐ πεδές. Multo enim gra-
tius est beneficium quod sponte conser-
tur, quam quod precibus extorquetur.
Quod uenustè & admodum eleganter
uetustas in Gratij signifcauit. Nam &
ἀγλαία, id est, splendorem, & ἐυφροσύ-
νην, id est, hilaritatem, ac δαλεῖα, quasi
dicas floriditatem finixerunt, & ijs no-
minibus ostendere uoluerunt beneficia
uultu sereno ac animo hilari conferenda
esse. Nam per αγλαία ostendunt con-
ferenda esse in amicos beneficia hone-
sta, luculenta, non sordida, sed digna
personis in quas conferuntur. Eadem
tamen laeto & sereno uultu danda esse,
& cum significatione aliqua maioris be-
nevolentiae, Per ἐυφροσύνην non obscu-
re declarant, quæ est latitia non exas-
perata ullis suspicionibus. Quid autem
per δαλεῖα uoluerint non obscurum est,
δάλεα enim est uiriditas seu florescen-
tia, qua admonet uetustas in persona
obsticla

obstricta beneficij debere conspicī gra-
titudinem, & florere in mutuam benefi-
centiam, quod alias sic dicitur, & oꝝ t̄i c̄l
lābe t̄i. Celebrantur item multorū Im-
peratorum benefacta. Nam cum Ti-
tus Imperator in coena recordatus fuiss-
et, quod eo die nihil beneficij prestitis-
set, memorabilem illam uocem edidit,
amicī diem perdidī. Tiberius Impera-
tor, Cum reprehenderetur quod æra-
rium Eleemosynis exauriret, respon-
dit: Nunquam defuturam esse pecunia-
m fisco regio, quam diu pauperes Elea-
mosynas accepturi essent. Cyrus apud
Xenophontem iurat per omnes Deos,
se maiori uoluptate affici, cum alios be-
neficij afficiat, quam cum seipsum dis-
tet. Magnum igitur decus est, Prin-
ceps colende, quod docentium & dis-
scentium coetum iuuas, & omnes p̄ij
quotquot se Ecclesiæ membra profiten-
tur, gratiam pro hac tua in Ecclesiam
pietate debent, & ego imprimis in quē
ā te beneficia innumerabilia profecta
sunt, & amare te & beneficia tua agno-
scere

scere & prædicare debeo, & enitar o-
mnibus ingenij viribus & summa dili-
gentia, ut studia mea liberalitati ac ex-
pectationi uestræ respondeant.

Domino autem Iesu Christo tuam
dignitatem, & filium eiusdem genero-
sissimum cum tota familia laudatissima
& nobilissima commendabo, & precor
æternum Patrem Domini nostri Ie-
su Christi, ut tibi ac tuis perpe-
tuo adsit, & te Ecclesiæ
suae in multa secula in-
columem conser-
uet, Amen.

Bene & fœliciter Vale, ij. Die
Maij. Anno 1557.